



Alexander Fabricius (qui et Kuznetsov)

DANIEL CHARMS IN SPECULO LATINITATIS APPARENS

Habeas, lector benevole, vel lectrix benivola, duas fabellas a Daniel Charms scriptas, nunc in linguam Latinam versas. multa de earum auctore dici debeant, atque etiam plurima et graviora de scriptis eius dicenda sunt. continent enim et divinas res et humanas fere omnes, quas poeta mira plenitudine complexus est. sed priusquam de Charms disputabimus, de Nicolao Gogol nobis dicendum est, et, quod etiam maius est, Iacobus Derrida non sit omittendus nobis. alius enim praecursor, alius poetae sectator nescius iure agnoscatur. sed quae de Gogol (ne Derrida dicam) dicenda sunt, tam grandia esse videntur, ut haec nec verbis nec litteris exprimi possint. itaque evenit, ut de Charms nobis dicendum non sit.

Nomen poetae litteris Latinis varie a doctoribus et editoribus scribitur (*Harms, Kharms*)¹, sed se ipsum *Daniel Charms* appellavit. haec enim forma subscriptionis Teutonice factae in folio legitur, in quo semet ipsum sua manu delineavit².

Editio critica nulla extat, plenior sub titulo *Operum omnium* lucem vidit³.

Charms in libello epimenio, qui Ёж (Er) inscribitur, plurima opuscula liberis scripta publicavit, huius epimenii paginae in forma originali repraesentantur in volumine nuper edito⁴.

Prima fabula *Четвероногая ворона* inscribitur, in tomo secundo *Operum omnium* sub numero 101 datur, chirographum subscriptionem tenet *13 февраля 1938*, hoc est Idibus Februariis.

¹ Cornwell, Christian 1998: 432–437. Bibliotheca Congressus (*The Library of Congress*) formam “*Kharms, Daniil accipit, qua plerique scriptores Angli utuntur*.”

² Shubinskiy 2015: 78.

³ Kharms 1997.

⁴ Arkhiv 2016.

Secunda fabula *O tom, как старушка чернила покупала* nominatur, eamque invenias in *Operum omnium* tomo tertio sub numero 64. huic *Er epimenius* primum domicilium praebuit, lucemque fabula vidit in codicillis mensis Decembris (sub numero 12) anni 1928, ubi 41 imagines parvulae ab Alexio Uspenski (Алексей Александрович Успенский) delineatae narrationem explicaverunt⁵. libellus anno 1929 sub eodem titulo editus est, imaginibus a Eduardo Krimmer (Эдуард Михайлович Криммер) pictis ornatus, in huius libelli operimento⁶ vetula depicta est, quae scribere aliquid voluit, sed atramentarium vacuum invenit. adest inscriptio: *Письмо сыну. Старушке много лет. [Epistula ad filium. Vetula multos annos aetatis habet]*.

Annotationes brevissimas et ad res et ad Latinitatem spectantes, prout potui, adieci. certe lectorem maiora quaesitum esse puto. difficile est proprie res soveticas sermone Latino reddere, atque in ipsis illorum temporum rebus multa iam nobis ignota et abscondita sunt, quae commentarios prolixiores et altiore eruditione instructos desiderent. sed opus erit et longum et laboriosum, adeo ut in his schedis suscipi non possit. hoc solum statuere voluerim, maximam operis difficultatem neque in rebus esses neque in locorum saeculique textura, sed profunda quaedam, licet latens, disconvenientia linguarum se in traducendo dilucidam ostendit.

Numeros paragraphorum fabulae longioris meo arbitratu inserui.

I. De cornice quadrupede

Erat cornix, quae quattuor pedes habuit. equidem, ut verum loquar, habuit pedes quinque, – sed hac de re dicere non convenit.

Forte caffeeas sibi emit, et in animo cogitabat:

«Nunc caffeeas emi, sed tamen quid de his faciam?»

Tunc vulpecula malo fato praetercurrit, quae cum cornicem vidit,

«Heus, cornix!», clamitat.

At cornix vulpeculae clamitat:

«Tu ipsa cornix es!»

At vulpecula cornici clamitat:

«At tu, cornix, θηρίον ὕειον εἶ.»

His verbis laesa cornix caffeeas in terram fudit. at vulpecula ultro profugit. at cornix in terram descendit, et quattuor, vel potius quinque, pedibus in suum turpissimum habitaculum ibat.

ANNOTATIONES

1. CORNIX, *wunderliches Tier*; quae Russice ворона dicitur, avium callidissima est et mente acuta praedita. in fabulis enim Aesopiis (Perry 124, Phaedrus 1, 13)

⁵ Arkhiv 2016: 365–370.

⁶ Shubinskiy 2015: folia colorata post p. 446 inserta.

non cornicem sed corvum stultum vulpes simulata adulatione decipit: ὦ κόραξ, καὶ φρένας εἰ εἶχες... , et apud La Fontaine (I, 2) de hoc *Maitre Corbeau* agitur. sed nunc non de corvi moribus et intellegentiae viribus disputabimus.

In Russia Ivan Krylov (Иван Андреевич Крылов) praecipuus fabularum scripor habetur, qui cornicem in versionem suam pro corvo induxit. qua ratione id fecerit, nescio. fortasse metri causa aves commutavit. nam cornix (*ворона*) et corvus (*ворон*) similibus vocibus Russice appellantur, quae tamen diversis accentibus pronuntiantur. sed stultam cornicem Krylov non fecit, atque in hoc Francogallum La Fontaine secutus esse videtur, qui eodem modo illum *Maitre Corbeau* tractaverat. ex hac igitur fabula cornicis appellatio novum usum et intellectum in lingua Russica accepit, qui a vera huius avis natura procul distat. nam *ворона* homo dicitur non quidem brutus sed talis, qui lacunar spectare solet, et sua facile amittit. etiam verbum derivatum est *проворонить* (quasi *decornicare*), hoc est aliquid negligentia amittere. hoc *ворона* in opprobrium dici potest, sed potius mite, quam asperum, et certe contumeliosum non est.

1. DICERE NON CONVENIT. hac formula variis verbis expressa Charms plurimis in locis usus est. nimirum dicere aliquid conatus a sermone abhorruit, cum tempora essent horribilia atque omni odio et turpitudine corrupta. hoc in loco satis erit considerasse, *Cornicem* mense Februario anni 1938 scriptam esse in media voragine calamitatis, cui nomen magni terroris ponere solemus.

2. QUATTUOR PEDES. Aves quattuor pedum semper in portentis habitae sunt, et primum, *grypes* istius naturae aves esse Media Aetas putavit, ut Thomas Cantimpratensis in libro, quem de natura rerum scripsit (5.52, 12, Boese): *haec est avis quadrupes, capite et alis aquilae similis, licet multo maior, reliquo corpore leonem imitatur*. In libris quos de monstris naturalibus curiositas Aetatis Novae procreavit, aves quadrupedes describuntur earumque imagines dantur. has, exempli gratia, inveniat lector in volumine, quod *Les Ecarts de la nature*⁷ inscribitur, fol. 3 et 23. Ulisses Aldrovandi quinquepedis galli picturam publicavit⁸. scripta quaedam de monstris narrantia Charms videre potuit. nam librorum veterum et pretiosorum tum magna copia Petropoli in promptu erat, qui e bibliothecis devastatis eieci exiguo pretio emebantur.

2. CAFFEAS⁹ EMIT. De turpissima annonae inopia, qua populus soveticus oppressus est, et de emptione victus saepe Charms scripsit. neque ab re esse puto eiusdem temporis epigramma proferre, quod Nicolaus Erdman (Николай Робертович Эрдман)

⁷ *Regnault 1775*.

⁸ Aldrovandi 1642: 550.

⁹ Aliter *coffea* scribitur. de pondere pulveris vel fabarum plurale dicendum esse puto.

composuit¹⁰. primum epigrammatis versum e fabula a Krylov scripa totum detraxit, et, praeter casei absentiam, sagittam in atheismum a comunistis¹¹ obtrusum contendit:

“cornici aliquando caseum misit Deus...”
– at non Deus existat! – sed ignoscas mihi:
non est Deus, sed caseus totidemque abest.

Cum panis et caro et cetera cotidiana (non dico caseum) difficilia emtu essent, eisdem temporibus inusitatae quaedam et populo ignotae cibi species, ut pisces rari, in tabernis et apothecis eiciebantur (quod lingua sovetica *выбросить* dicebatur). et saepe evenit, ut haec omnia populus sine dubitatione carperet (*брал*), ut postea de usu eorum cogitaret. sed ab aliis etiam esurientes abhorrebant. itaque eodem anno 1938 nepae marinae (*Paralithodes camtschaticus* appellatur) emi potuerunt. cum ab huius bestiae usu se abstineret populus, tabulae pictae provulgabantur, quibus compellebantur homines, ut nepas illas manducarent, etiam versiculi in picturis legebantur¹²:

iam tempus omnibus probare et testari,
quam sit caraborum pulpa tenera, quam dulcis

Post bellum magnum secundum¹³, cum vera fames in Unione Sovietica esset, caraborum per breve tempus abundantia fuit, et omnes anguli eisdem versiculis eti-

¹⁰ Lyubimov 2001: 386.

¹¹ *Comunista et coenonista* aequo iure adhibentur, verum tamen, si ad barbarismos fugiendum nobis est, Romanos graecanicis praetulimus. at si a veteribus verba petere placet, in haec M. Tullii incidimus: *De off.* 2, 73: *oratio est ad aequationem bonorum pertinens, qua peste quae potest esse maior?*

¹² Snopkov 2004: imago 534; Lebina 2015: 61. auctor versuum ignotus est, sed (si divinare licet) Erdman vel Volpin (Михаил Давыдович Вольпин) fuisse sentio.

¹³ Difficile est hanc notionem Latine reddere. dubitanti mihi et haesitanti vernacula Romanorum locutione uti placuit, quae e.g. Italice *la seconda grande guerra*, eaque saepius numero omisso de primo illo bello dicitur. Lexica multas et varias sed parum idoneas interpretationes praebent, ut *bellum mundanum*, *mundiale*, *universale*, *pancosmium*; *bellum totius orbis*; *bellum omnium gentium* [Col 2007: 512 s.v. *guerra*]. hoc quidem *bellum mundanum* non absurde sonat, dum *mundum* locum et quasi provinciam esse accipiamus. eadem enim ratione *bellum Gallicum* appellaverunt Romani. Cicero *mundum* Socratis patriam fuisse praedicavit (cf. *Arr. Epict.* 1, 2, 2), et Graecum κοσμιον per hoc *mundanum* explicavit, *Tusc.* 5, 108: *Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, mundanum inquit...* maxima igitur est auctoritas, tamen *bellum mundanum* in sermonem inducere duabus de causis nolui. primum, *mundanus* potius totius mundi structuram concinnitatemque, quam locum et spatium indicat, ut *Apul. De Platone* 33: *in mundano fastigio, quem Graeci οὐρανὸν recte vocant.* quae significatio bello non coniungitur. secundum, ipsum *mundani* vocabulum apud veteres rarum invenitur, at in lingua Christiana usitatum est. scriptores autem Christiani quaedam huius modi edere possunt: *nuspian foelicus Satanus bellum gerit, quam in bello mundano impie suscepto ... optimam aufert praedam* [Wynmann, Nicolaus. *Herculis cum Antaeo pugnae allegorica ac pia interpretatio...* Norimbergae, 1537, fol. 21^v]. cum de principibus nostri temporis eorumque bellis hoc dictum esse videatur, tamen aliud bellum scriptor in mente habuit, id scilicet quod *princeps huius mundi* cum caelo gerit.

am tum frequentabantur. me iuvene crustacea illa iam in raris et exquisitis dapibus habebatur, at immensa vis *Saccharinae latissimae*, algae marinae, omnibus rebus emptis, in vacuis tabernis praebebatur, quam pauci gustare voluerunt.

In his inusitatis atque ignotis epulis etiam *caffea* ponenda est. nam Charms verae potionis Arabicae memoriam in prima pueritia conceptam habere potuit, sed nescio, an unquam eam adultus biberit. Cornix procul dubio fabas emit, quae fortasse etiam non frictae fuerunt. at ego virides fabas aliquando emi, et, ut Cornix illa, memet ipsum rogitabam, quid mihi faciendum esset. sed eius rei periti fabas frixerunt, et de his potionem caffeeae sibi fecerunt.

3. COGITABAT. Cornix aliquid philosophi in se habet, et eam cogitantem Charms in scaenam mittit, idem Krylov de sua Cornice ait:

et cogitabat: caseus rostro avis erat.

Philosophabatur igitur Cornix Charmsiana sed volare sive nequirit sive noluit, eique Ruperti Tutiensis verba de avibus quadrupedibus dicta bene congruunt: *Quasi aves immundae inanes gentium philosophi fuere, recteque avibus super quattuor pedes gradientibus comparantur; quicumque ex his cum animo de caelestibus verbi gratia sole luna stellis philosophantur, ventre autem vel toto corpore per terram lutumque vitiorum versantur*¹⁴.

4. SUS *свинья* in Russia vox contumeliosa et peraspera est, quae sicut Anglice *swine* pronuntiatur. hominem vel corpore squalido et impuro, vel moribus turpibus significat. id ab usu ac ratione Romanorum et Graecorum alienissimum esse videtur. Plato in Re Publica civitatem descripsit, quam ὤων πόλιν nominavit (II, 372 d), quia homines indocti et rebus corporalibus dediti eam incolunt, sed nullum opprobrium in hac ὤων appellatione fuit. alio eiusdem dialogi loco de quadam animi constitutione dixit: ... τὸ δ' ἀκούσιον εὐκόλως προσδέχεται καὶ ἀμαθαίνουσά που ἀλίσκομένη μὴ ἀγανακτῆ, ἀλλ' εὐχερῶς ὡσπερ θηρίον ὕειον ἐν ἀμαθίᾳ μολύνηται (VII, 535 e). his mihi verbis uti placuit.

4. TURPISSIMUM HABITACULUM *паршивый дом*. hoc *паршивый* proprie aliquid impetigine affectum significat, saepius translate dicitur de rebus squalidis et spernendis. at in talibus habitaculis et ipse Charms et plerique homines soveticici vitam agebant.

¹⁴ Rupertus Tutiensis (Rupert von Deutz), De sancta trinitate et operibus eius, In Levit., 2, 11, PL 167, 798A. – id locum notabilem inveni in [Portalupi 1998: 487].

II. De vetula, quae atramentum emebat

[1] Erat in Via Valga insula, quae septimum decimum numerum tenebat, ubi domicilium vetula possidebat. cum marito suo olim vixit, filiolumque aluit. sed adolevit filius et procul abiit, maritus autem mortuus est. itaque sola aevum agitabat.

Bene et placide vivebat, Sericam potionem bibens et litteras ad filium mittendas scribens, nihil aliud agebat.

Sed de Luna cecidisse dicebatur.

Forte in cavaedium aestate venit, et simul se circumspexit, dixit:

«Admiror, mecator, ubi nives sint. an evanuerunt?»

Tum ridebant vicini:

«Inaudita res est et numquam visitata, ut aestate terra nivibus tegatur. quid tibi vetula? num de Luna cecidisti?»

[2] Alias in tabernaculam venit, ubi petroleum album venditur, et

«Quanti – inquit – panes gallicani apud vos constant?»

Ridebant adiutores mercatorii:

«Quid ais tu, mulier? quinam apud nos panes gallicani essent? num de Luna cecidisti?»

Tales aniculae mores atque habitus erant.

[3] Forte evenit, ut caelo sereno nullis nebulis per Viam Valgam pulvis volitaret. tum ianitores adfuerunt, qui siphones quasi longanones carbaseos cuspidibus aeneis praefixos protenderunt, ut viam aqua imbrificarent. hi caliginem pulveris aquae impetu transfigere coeperant. iam pulvis aquis imbutus in terram decidit, iam equi per aquae lacunas currebant, et carens pulvere vacuus ventus volitabat.

[4] Per ostium domus, cuius numerus septimus decimus fuit, anus egressa est. manus eius umbellam tenuit, capulo haut parvo refulgentem. caput petaso opertum est, corpusculis fulgidis ornato. tunc ianitorem adlocuta clamitavit:

«Dic sodes, ubi atramentum emi possit».

At ianitor contra, *quid?* exclamavit.

Cui anus appropinquans

«Atramentum – inquit – dico.»

Sed ianitor, *cave!* exclamavit et aquae fluctus siphone eiecit.

In sinistram partem se vetula tetendit, sed lymphae impetus aequae atque illa laevam petiit. ad dextram se traxit celeriter, et illam aquae secutae sunt.

Tunc illi ianitor extollens vocem

«Quid? – inquit – num de Luna cecidisti? nonne vides me viam imbrificare».

Sed anicilla nihil aliud quam umbellam agitavit et usque processit.

[5] Forum cupidinis petivit, inque eo puerum vidit. piscem vendebat satis magnum et succi plenum, qui piscis sicut pes crassus atque ut brachium longus fuit. puer autem manibus piscem leviter sursum subiecit, deinde rostrum manu prehendit et

piscem utroque movit. tunc eum demisit nec cadere sivit, sed caudam manu altera tenuit. piscem aniculae protendit, et

«Denario – inquit – venit».

Respondit vetula:

«Nolo piscem, sed atramentum...»

Puer autem sermonem eius interrumpens

«Carpe – ait – quod parvi est...»

At illa:

«Nolo piscem, sed atramentum...»

Sed pressit piscator:

«Vin hunc emere? nam quinque pondo et selibram habet». – et, quasi fatigatus pondere, piscem in alteram manum deposuit.

Illi contra vetula

«Nolo – inquit – piscem, sed atramentum quaero».

[6] Tandem puer auditu capere potuit, quid anicilla profari vellet, et illam percontari cupiens rogitabat:

«Num atramentum quaeris?»

«Certe atramentum.»

«Atramentum scilicet?»

«Etiam.»

«Nunc tibi piscibus opus non est?»

«Minime.»

«Sed atramento?»

«Ita est.»

Tunc puer exclamavit:

«Quid tibi, bona mulier? num de Luna cecidisti?»

«Iam video te atramenta non habere».

Haec cum dixisset, usque longius anicilla processit.

[7] Agitavit igitur anus umbellam et longius processit.

«Carnem recentem! Te amabo!». sic macellarius magnus corpore vetulae clamitabat cultro iecuscula secans. cui illa:

«Habesne atramenta?» dixit.

Ad quae macellarius magna voce *atramenta* remugivit, et totam suem evisceratam pede tenens alicubi tractavit.

Anus autem citius procul a macelario abscessit, qui nimis crassus et saevus videretur.

[8] Circulatrix quaedam illi protinus clamitabat:

«Veni! Huc veni, quaeso!»

Advenit ad eius tabernam vetula, et vitra ocularia naso imposuit, cum se atramenta videre speraret. adridebat circulatrix, et vasculum illi prunis passis plenum protendit.

«Tene, – inquit – te amabo, nusquam alibi tales invenias».

Acceptit anus baccarum vasculum, huc et illuc id manu versavit et circulatrici reddidit dicens:

«Atramenta quaero, non baccas...»

At illam circulatrix interrogavit:

«Quae atramenta? utrum rubrum an nigrum vis?»

Se nigrum velle respondit vetula. circulatrix autem se nigrum habere negavit. sed anicilla

«Nunc vero – ait – rubrum accipiam».

At circulatrix etiam rubrum abesse dixit, et labra sua ut nodulum composuit. cui *vale* vetula dixit et nescio qua via abiit.

[9] Et ecce asinos quindecim aspexit. Tardo gradu alius alio iunctim succedebat, et homo vexillum valde magnum tenens asino priore vehebatur, aliisque asinis alii viri sedebant, qui tabellas inscriptas similiter tenebant.

«Di boni, – hoc enim vetula secum pensitabat – quid rei est? nunc vero populus asinis sicut traminibus urbanis vehi videtur.» et viro, qui priore asino vehebatur, clamitans

«Heus, – inquit – paulisper mane, dic mihi, ubi atramenta possint emi.»

Sed homo, qui asino vehebatur, anum non audivit. tubam nescio quam alte protendit, cuius tubae pars extrema, altera angustior extenuata est, altera latior fuit speciemque turbines praebuit. ille igitur angustiolem tubae exitum labris admovit et clamorem edidit ita, ut in ipsam vetulae faciem vis vocis eruperit, et tam clara voce clamitabat, ut posse trans septem milia passuum clamorem exaudiri diceret:

«Festinate, Circum diversatum Durissimi spectate!

«In Circo Publico... in Circo Publico

«... leones marini...

«... a populo desiderati...

«... haec est ultima spectaculorum septimana ...

«... tesseræ in vomitorio accipiantur...»

[10] Quo exterrita, primo umbellam manu emisit anilla, deinde eam terra sustulit, sed ita suscipientis manus timore trepidaverunt, ut rursus umbella manibus exciderit. tandem umbellam carpsit, et per viam, perque crepidines quo citius progressa in alteram se inclinavit viam, post in tertiam, latam satis et admodum crepitantem venit.

Circumfundit vetulam populi festinantis multitudo. crebra per viam vehicula illa mobilia volvuntur et tramina urbana cum strepitu ruuntur. volebat anicilla se in alterum viae latus traicere, cum improvise vehiculum *tra-tra-tra-tra* latravit. quod, dum procul abivit, expectavit, et viam stratam pede premebat, at *caveas* agaso exclamavit. hunc etiam expectabat anicilla, dum praelatus est, et ad alterum viae latus currebat. iam in media via fuit, cum *tin-tin-gin-gin* tramen decucurrit. anus se retro proiebat, – ast, *pyrh-pyhr-pyrrh-pyrrh* autocinetos duarum rotarum a tergo concrepuit.

[11] Tunc anicillam pavor invasit, sed homo quidam bonus in eam fato incidit, manum eiusprehendit et dixit:

«Quid tu? num de Luna cecidisti? nam vehiculis premi potes.»

Et eam in alterum latus duxit.

Vix sustulerat anhelitum vetula, et bonum illum hominem de atramentis interrogare voluerat, cum iam vestigia illius evanuisse vidit. tum perrexit iter, innitens umbella et anxios huc atque illuc prospectus proiciens, ut aliquid de atramento sciscitaretur.

[12] Ecce autem senex baculum tenens ei obviam ibat, qui et acherunticus et satis canus erat. hunc talem vetula propius accessit, et

«Hem, – inquit – vir peritus esse videris, at scin, ubi atramenta venalia prostant?»

Seniculus hic constitit caput levavit rugas movit. hoc modo aliquamdiu stetit, deinde in fundam vestis manum intendit, unde sacculum nicotianae, papyrum et calamum ad fumandum detraxit. postea fistulam papyrinam lente torsit, eamque in calamum immisit. sacculum papyrumque rursus in funda abscondidit, et radios sulphuratos prendit. suxit fumum et voce sibilanti, (caruit enim dente) respiravit: *samesa in boseha sono*, et ultra processit.

Anilla vero nihil intellexit.

[13] Tum se in deliberationem mersit.

Quid? nihil certi de atramento dicitur. num populus hic de atramento prorsus nescit?

Consilium cepit in apothecam eundi, ut atramentum quaereret. nam ibi omnia de ea re sciri sperabat.

At apotheca adhaerebat. fenestrae vastae totius parietis magnitudine erant, et libri in fenestris expositi iacebant.

«Huc – ait – intrabimus. atque hic atramentum dari pro certo pono, cum libri iaceant. nam libros atramento scribi puto.

Ad ianuam venit, quae de vitro facta miram et inusitatam speciem praebuit.

Pulsat ianuam, sed ipsa a tergo aliqui pulsatur.

[14] Retro respicit et alias valvas in se moventes videt. progredi conatur, at valvae eam persequuntur. omnia sunt vitrea, omnia gyro labuntur. ergo igitur oculorum animique vertigo vetulam oppressit. quo pergeret ipsa nescit, tamen pergit. valvae ubique volvuntur et eam porro propulsant. itaque loco nescio quo circumagitur turbulenter et proculcatur, donec aegerrime vix viva erupit.

[15] Quae ei adversa essent, lustravit oculis. ecce magnum horologium mechanicum, ecce scala, quae sursum ducebatur. homo quidam pone horologium stabat, ad quem anicilla appropinquans:

«Ubi locorum – ait – de atramento notionem concipere possum?»

At ille etiam caput ad vetulam non inclinavit, sed tantummodo portulam quan-

dam parvulam et cancellatam ostentavit. quam ubi leniter vetula aperuit et limen intravit, pusillulam cellam vidit. celula non maior armario erat, tamen homo in ea stabat. vix vetula de atramentis hominem interrogare coeperat, cum de subito tabulatum cellulae *din-digin* sursum exsiluit.

[16] Obstupefacto corde se movere non audet anus, et in pectore quasi lapidem crescere sentit. in loco constat nec respirare potest. hominum pedes manus capita per portulam visa delabuntur et aliquid, ut machina sutoria, circumstrepet. mox conticescente strepitu facilius auram capere potuit. nescio quis portulam aperuit et anicillae

«Advenimus, – inquit – amabo te, quinta est istaec contabulatio. non plus ultra.»

Tamen vetula quasi dormitans et ab aliquo propulsa paulo altius progreditur. tunc cellulae ostium a tergo adducitur, et ipsa celula armariolo similis deorsum moveri coepit.

[17] Anus in scala stabat, at vulgus praetercurrebat, ostia crepitabant, sed illa stabat et umbellam tenebat. ibi aliquamdiu stetit, et postquam omnia, quae circumcirca ageretur, inspexit, per quandam ianuam progressa in cameram satis magnam et lucis plenam delapsa est.

[18] Mensulas in camera stantes circumspexit, et homines ad mensulas sedere vidit. quorum alii nasos in foliis fixerunt et aliquid scribebant. alii machinis scriptoriis crepitabant. qualis in officina ferraria fieri solet, sed in parvula ac ludicra, talis fremitus erat.

Lectulus erat a dextra, duo homines in lectulo sedebant, Crassus et Macer.

[19] Crassus aliquid Macro narrabat, et manum sibi manu fricabat. Macer autem se prorsus curvavit et Crassum per vitra ocularia circulis albulis inclusa tuebatur, ipse autem caligarum resticulas constringebat.

Tum Crassus dixit:

«At ego narrationem de puero, qui ranam devoravit, scripsi. quae fabula quemvis valde tenebit et delectabit.»

Respondit Macer:

«Equidem nullum adhuc argumentum invenire potui de quo narratio mihi scriberetur.»

Haec vero dixit quoad resticulam in angustissimum foramen immitere conatus est.

[20] Crassus autem «Mea – inquit – narratio quemvis valde tenebit et delectabit:

Puer domum intravit et patri, ubi locorum fuisset, interroganti rana e ventre pueri loquaciter respondebat. idem in ludo evenit. ubi magister de puero quaesivit, quibus verbis salutatio matutina Teutonice diceretur, rana coaxans respondebat. stomachatur magister, at rana usque suam vocem quatit.

Nunc vides, haec fabulatio quantum risum moveat.»

Haec cum Crassus dixisset, manu manum fricavit. deinde vetulam interrogavit:

«Sed tu, etiamne aliquid scripsisti?»

[21] Respondit illa:

«Nihil scripsi, nam atramenta mihi exierunt. habui vasculum, quod filius mihi reliquerat, sed iam exhaustum est.»

Quam Crassus iterum interrogavit:

«Num etiam filius tuus scriptor est?»

Cui vetula

«Minime, – inquit – nam saltuarius est, sed procul a nobis habitat. olim mariti mei solita eram sumere atramenta, sed iam mortuus est. nunc sola vitam ago.»

Et subito addidit:

«Possumne apud vos atramentum emere?»

[22] Tunc Macer, qui iam caligam constrinxit, attonitus anicillam per vitra ocularia inspexit, et

«Quid – ait – atramenti est?»

«Est atramentum, quo scribitur». hoc modo vetula sermonem suum explicavit.

Tunc Crassus, qui manus fricando cessavit dixit:

«Tamen atramenta non sunt apud nos venalia.»

Macer autem de lectulo surrexit et quaesivit ex anicilla:

«Sed tu quo modo huc advenisti?»

Respondit anus:

«In armario ascendi.»

«Quo in armario?» – id una voce Crassus et Macer erogitabant.

[23] At vetula

«Eo – inquit – armario, quod apud vos per scalam ἄνω κάτω versatur».

«Ascensorium quod et vertilabrum esse videtur». haec Macer adridens, qui rursus in lectulo consedit, cum alteram sibi caligam dissolutam haberet.

Crassus autem vetulam interrogavit:

«Sed tu qua de causa huc advenisti?»

Respondit anus:

«Equidem atramentum nusquam invenire potui. quando autem populum de hoc sciscitata sum, – nemo scivit. tum libros hic expositos vidi, et intro ivi. nam libros atramento scribi puto.»

Cachinnabat Crassus et

«Re vera, – inquit – , quasi de Luna in terram cecidisti!»

[24] «Nunc auscultā... !» – haec Macer, qui ex lecticulo exsiliebat. caligas nondum etiam constrinxit, et resticulae pavimento trahebantur.

«... auscultā!» – haec Crasso dixit –

«... scripturus sum fabulam de vetula, quae atramentum emebat».

Cui Crassus:

«Rectum dicis!» – ait, et manus fricavit.

[25] Tunc Macer vitra ocularia naso removit, et anhelitus in specilla reflat. quae postquam mappula terruit et siccavit, rursus naso imposuit, et aniculae dixit:

«Narra nobis, quo more atramentum emeris. nos vero libellum de te scribemus et atramenta tibi dabimus.»

Cogitavit aliquamdiu vetula, et in hac re consensit.

Atqui macer homo fabellam conscripsit.

De casibus, quibus emebat atramentum vetula.

Haec est fabella quam tu modo lectam habes.

ANNOTATIONES

[1] VIA VALGA Russice *кособокая* appellatur, quod nomen adiectivum e duobus compositum est, scilicet *косой* et *бок*. horum enim primum rem indicat *obliquam* vel aliquo modo *inclinatam*, secundum autem *latus* significat. hoc *кособокий* apud scriptores rarum invenitur, quo etiam rarius in sermone cotidiano audiri potest. proprie hominem significat, cuius corpus ita deformatur, ut in latus incumbat. atque cuiuslibet generis obliquam figuram per translationem denotat, ut Lunam crescentem vel deficientem, sed plerumque res varias, saepe aedificationes, quae cum recte stare debeant, tamen sive vetustate sive negligentia declinantur. appellationem igitur suam e domiciliis obsoletis et inclinatis *Via* accepit. equidem eam *Valgam* dici volui, quod eandem fere imaginem haec Latina atque illa Russica vox praebere videntur. quidni? magnam lingua Latina copiam verborum possidet vitia corporis denotantium, quae etiam cognomina Romanorum multa faciunt, ut *Paetus* τὸν ἰλλὸν καὶ παραβλῶπα profert, qui etiam Graeca voce *Strabo* dicitur, at Russice idem *косой* fit. sed, licet multae sint, nulla vox Latina reperitur, quae hoc *кособокий* reddere possit.

[2] IN TABERNACVLAM VENIT – varios mercatus anus nostra visitat, qui ita depinguntur ut omnes privati iuris esse accipimus. hanc mercaturae condicionem magni momenti esse puto. nam omne privatum commercium principio dictaturae suae prohibuerant et praecluserant comunistae, at mox necessitate coacti restituerunt, et *Ordinem Novum Oeconomiae*¹⁵ (qui per litteras initiales ONO et scribitur et dicitur) rerum privatarum brevem instaurationem appellari voluerunt. ordo ille, cum novus diceretur, tamen recessus esse veterum temporum putabatur. qua de causa privata mercatura, licet abundantiam rerum praerberet, in odio apud multos homines novi temporis erat, proprietarii autem mercatoresque inimici praeclari et felices Aevi Futuri esse credebantur. hoc quidem odium Charms in mente tenens mercatores vetulae inimicos fecit. sed anus per illas tabernaculas privatas ad novam et splendiam domum progressa est, ubi et amicos et atramentum invenit. haec enim officina editoralis fuit, quae in potestate civitatis soveticae erat. non omittendum est, fabulam ad finem anni 1928 lucem vidisse, quando, Ordine novo dissoluto, mercatura privata iam

¹⁵ Новая экономическая политика, НЭП.

suppressa erat. at anno 1931 omnis prohibita est. postea Charms de annona sovetica scribere coepit, de qua iam supra egimus.

[2] PETROLEVM ALBVM, quod et *cerosinum* vel *cerosina* dicitur, in maximo usu erat. nam ante primum bellum magnum lampades eo liquore infusae sunt, sed in primis decenniis saeculi soveticici potius in cibo coquendo cerosina consumpta est. nam fornaculis populus utebatur, in quibus oleum album vel benzinum flammabant. haec fornacula usque adhuc *primus* appellatur.

[2] PANES GALLICANI – quod genus panis fuerit, nescio.

[4] VMBELLAM TENVIT – omnis anus habitus personam *intellegentem* veteris temporis indicat. nam intellegentes (hoc nomine e lingua Rissica accepto uti velim) plerique bonam fortunam habuerunt et ad classem mediam, quam dicimus, pertinuerunt. nimirum etiam habitum illius classis tenuerunt. sed post bellum magnum et tumultum soveticum in omnium rerum penuria vitam egerunt, et alii vestimento vetere paupertatis causa multos annos usi sunt. alii vestimentum mutare noluerunt, ut quasi insignia deperditae dignitatis servarent. Charms huius generis intellegentem imitari solitus est, cum fratrem suum fictum repraesentavit, quem Ivan Ivanovič nominavit et *olim professorem (privatim docentem) Academiae Imperialis Petropolitanae* fuisse voluit. nota est illius Ivan Ivanovič imago photographica habitum intellegentis veteris graphice praebens¹⁶. sed inter Ivan Ivanovič et nostram vetulam magnum discrimen esse videtur. ille tristis, desperatus et vita oppressus, haec inpavida viam carpsit, quae eam ad vitam novam per scopulos Oeconomiae Novi Ordinis duxit.

[8] VITRA OCULARIA quae et *conspicilla* dicuntur semper insignia intellegentium fuerunt.

[13] NUM POPULUS HIC DE ATRAMENTO PRORSUS NESCIIT? – εἰρωικῶς ab auctore dictum est. nam illius temporis populus, licet parum litteratus esset, mulum scribere debuit, et turba scribarum officialium iam tum maior quam sub Imperio fuit.

[23] ASCENSORIUM QUOD ET VERTILABRUM – machinam ascendendi et descendendi vocabulo ex Italico (*ascensore*) et Gallico (*ascenseur*) deducto appellare malo, quam fictis atque excogitatis uti¹⁷.

¹⁶ Hanc inveniat lector in [Shubinskiy 2015: 200].

¹⁷ Anabathrum, scansorium, ascensorium, cella scandens, cellula scansoria, pensilis cellula; machina scansoria, pegma scansorium vel scandens [Col 2007: 97, s.v. ascensor].

Veteres nullum testimonium ascensorii reliquerunt, at Aetas Media unum saltem exemplar huius machinae profert. est liber a Conrado Keyser compositus, *Bellifortis* inscriptus. multarum machinarum, quae pleraeque fictae fuisse videntur, imagines et descriptiones continet. notum est, ipsum Keyser in Bohemia receptaculum invenisse, ubi anno 1405 opus suum confecit et Ruperto regi Romanorum dedicavit¹⁸. in hoc igitur Belliforti machina ascendendi inter alia miracula describitur. tamen machina illa non, ut nostra ascensoria solent in aedificio, sed in aperto instructa est.

Textus enarrationis una cum imaginibus pictis ex tribus libris mihi notus est: codices Vaticanus (V)¹⁹ et Monacensis (M)²⁰ liberalitate Bibliothecarum publico iure videre possumus, codex Gottingenensis (G) a G. Quarg typis editus est²¹. his subsidiis nisus enarrationem ascensorii ordinavi. primum observandum nobis est Keyser versu hexametro usum esse concinitate finitionum ornato²², qui multis in locis a recta prosodia aberravit. sed hic locus non est, ut de ista materia disseramus. hoc satis esse causae puto, ut falsas prosodias atque accentus in ictibus positos notis usitatis indicam.

Hóc est †ventilābrum binis rotīs síc⁽¹⁾ fabricátum |
 Síc proportiōnátum: partem dans párti cōniúctim⁽²⁾ |
 Fúme levátō mōtu conténtum⁽³⁾ téndīt⁽³⁾ seórsum |
 Sícque relévato⁽⁴⁾ mōtu relevábīs⁽⁴⁾ deórsum |

(1) sic G *deest* in MV | (2) coniunctim G | –tum M | –tam V | (3) contentum tetendit G | *pro his verbis* movetur MV | (4) releva– GV | revela– M

his versibus addit solus Gottingenensis alios duo, qui allegoriam sideralem praebent:

R´otā primā tauro dātur secúndaque cáncro
 Pártes nam iungéntūr merídiēs septētríone

In prima linea *ventilabrum* cruce notavi. ea lectio, quae a tribus MSS datur, absurda est, cum ipsa vox *vannum* significet. est *ventilabrum* instrumentum, quo aliquid ventilatur, ut Forcellini s.v. definivit, idem forma derivationis docet. verum

¹⁸ Videat lector praefationem, qua G. Quarg editionem Bellifortis ornavit [Keyser 1967: 2, XVI].

¹⁹ Bibliotheca Apostolica Vaticana, Pal.lat.1994, fol. 145^r.

²⁰ Bayerische Staatsbibliothek, Clm 30150, fol. 38^v.

²¹ Keyser 1967: 2, 52 (cod. fol. 83^r).

²² Id Quarg observavit: Zusätzliche Schwierigkeiten entstehen dem Übersetzer aus der unglücklichen Liebe Keyzers zu Vers und Reim. Diese Liebe ist so weit gegangen, daß man ... bei Allem, was nicht in Verse gebracht (oder meist gezwängt) ist, bezweifeln muß, ob es überhaupt von Keyser stamme [Keyser 1967: 2, XV].

tamen si apparatus a Keyser excogitatus inspiciamus, ventum in eo nullo modo operari posse clare videmus. est igitur *vertilabrum* lectio mendosa. equidem non dubito, quin lectio correcta *vertilabrum* restituenda sit. nam secundum derivationem *vertilabrum* est instrumentum, quo aliquid vertitur. id machinae nostrae bene convenit.

Anno 1300 Wenceslaus II rex Bohemiae constitutionem iuris metallici edidit, in qua *vertilabri* mentionem fecit²³, Caput 5, § 18: *verum si aliquod vertilabrum alicui concedatur, quod in vulgari montanorum Haspel²⁴ dicitur ... ex hoc testimonio vertilabri usitatum nomen in Bohemia fuisse accipimus. at scimus auctorem Belfortis in Bohemia vixisse, et non dubito, quin ei vertilabrum notum fuerit.*

Hanc machinam tractoriam *suculam* veteres nominaverunt²⁵. duae suculae in machina Belfortis sunt, sed versiculis intellegi potest, non singulas suculas sed totam constructionem *vertilabrum* a Keyser appellari.

In libris saeculi XVI vel XVII variae machinae tractoriae, praecipue in metallis instructae, describuntur, quorum nonnullae ascensorio similes sunt. tamen neque in his, neque in omni vetere modernaque Latinitate praeter hoc Belfortis *vertilabrum* ullum ascensorii nomen adhuc inveni.

[23] FABELLAM – FABELLA, in “Ere” anni 1928 legitur *рассказ* ‘narratio, fabula, fabella’, in libro anni 1929 scriptum est, ut res id postulavit, *книжка* ‘libellus’.

ДАНИИЛ ХАРМС В ЗЕРКАЛЕ ЛАТИНСКОГО ЯЗЫКА

Кузнецов, Александр Евгеньевич
 доктор филологических наук, доц.
 кафедра классической филологии
 филологического факультета
 МГУ им. М.В. Ломоносова
 Москва 119991, Ленинские горы, 1-й гуманитарный корпус
 E-mail: recubanssub@googlemail.com

Аннотация: В статье предлагается перевод двух рассказов Даниила Хармса на латинский язык. Выбранные для перевода тексты отражают две стороны творчества Хармса: детскую литературу (напечатанный в 1928 г. рассказ *О том, как старушка чернила по-*

²³ Jiriček 1867: 102. – praeterea *vertilabrum* – *Haspel* invenitur in [Diefenbach 1867: 193 (s.v. *giruncula*), 380 (*vertilabrum*)].

²⁴ Olim vocabulo illo Germani *suculam* appellaverunt, videas [Leupold 1725: 81].

²⁵ Praeter Forcellini s.v. *sucula* II, videas [Adam 1999: 70–72].

купала) и не публиковавшееся при жизни автора не-детское творчество (текст 1938 г. *Четвероногая ворона*). Латинские тексты Хармса снабжены небольшим реальным и экзегетическим комментарием, построенным по традиционным моделям, принятым в классической филологии. В комментарии рассматриваются некоторые реалии советского мира и проблемы, возникающие в связи с переводом мира Хармса на классический латинский язык. Специально обсуждаются латинские выражения для передачи таких понятий, как *мировая война*, *НЭП*, *коммунисты*. Из предметов реального мира трудным оказался *лифт*, для которого, наряду с искусственными словами, появившимися в словарях новейшего времени, обнаруживается незафиксированное в данном значении слово *vertilabrum*, использованное в трактате о военных машинах начала XV века *Bellifortis* Конрада Кейзера.

Ключевые слова: современная латинская литература, латинские неологизмы, Даниил Хармс, Конрад Кейзер

DANIIL KHARMS IN THE MIRROR OF LATIN LANGUAGE

Kuznetsov, Alexander E.

Prof., Dr.

departement of classical philology

philological faculty

Lomonosov State University

Moscow 119991, Leninskiye gory GSP

1st building for human sciences

E-mail: recubanssub@googlemail.com

Abstract: In the article the translation of two short stories by Daniil Kharms into Latin is proposed. The texts chosen for translation reflect two different aspects of Kharms' work: his writings for children (*How an Old Lady Tried to Buy Ink*, published in 1928) and so called non-children works which had never been published in the author's lifetime (*The Four-Legged Crow*, dated to 1938). The notes to the Latin text are intended to form a short real and exegetical commentary, built on the traditional models adopted in classical scholarship. The commentary discusses some of the realities of the Soviet world and the problems arising in connection with the translation of Harms's world into classical Latin. Latin expressions are specifically discussed which convey such concepts as *world war*, *NEP*, and *communists*. Of the objects of the real world, the *elevator* proved to be difficult, for which, along with artificial words that appear in modern Lexica, the word *vertilabrum* has been discovered which was used in the early 15th century treatise on military machines *Bellifortis* by Conrad Keyser.

Keywords: modern Latin literature, Latin neologism, Daniil Kharms, Conrad Keyser

LIBRI LAUDATI

- Adam J.-P. 1999: *Roman Building: Materials and Techniques*. London; New York.
- Aldrovandi U. 1642: *Monstrorum Historia cum paralipomenis historiae omnium animalium*. Bononiae.
- Arkhiv 2016: *Arkhiv zhurnala "Yēzh" [Archive of journal Yozh]*. Vol. 1: 1928, Moscow.
Архив журнала "Еж". Т. 1: 1928. М., 2016.
- Col J.J. del 2007: *Diccionario auxiliar español-latino para el uso moderno del Latín*. Bahía Blanca.
- Cornwell N. (ed.), Christian N. (associate ed.) 1998: *Reference guide to Russian literature*. London; Chicago.
- Diefenbach L. 1867: *Novum glossarium latino-germanicum mediae et infimae aetatis*. Frankfurt am Main.
- Jiriček H. 1867: *Codex juris Bohemici. Tomus primus, aetatem Přemyslidarum continens. Opera H. Jiriček*. Pragae.
- Keyser C. 1967: *Bellifortis*. Düsseldorf. – Bd. 1: *Facsimile-Druck der Pergament-Handschrift Cod. Ms. philos. 63 der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen*. – Bd. 2. *Umschrift und Übersetzung von Götz Quarg*.
- Kharms, Daniil 1997: *Polnoye sobraniye sochineniy [Opera omnia]*. Vstupitel'naya stat'ya, podgotovka teksta i primechaniya V.N. Sazhina (t. 1–3), A.V. Koskello (t. 3). Т. 1–3. S.Peterburg.
Даниил Хармс. *Полное собрание сочинений*. Вступительная статья, подготовка текста и примечания В.Н. Сажина (т. 1–3), А.В. Коскелло (т. 3). Т. 1–3. СПб., 1997.
- Lebina N.B. 2015: *Sovetskaya povsednevnost': normy i anomalii. Ot voyennogo kommunisma k bolshomu stilyu [Soviet everyday life: norms and anomalies. From war communism to great style]*. Moscow.
Лебина Н.Б. *Советская повседневность: нормы и аномалии. От военного коммунизма к большому стилю*. М., 2015.
- Leupold J. 1725: *Theatrum Machinarium, Oder Schau-Platz der Heb-Zeuge...* Leipzig.
- Lyubimov Yu.P. 2001: *Rasskazy starogo trepacha [Tales of the old prattle]*. Moscow.
Любимов Ю.П. *Рассказы старого трепача*. М., 2001.
- Portalupi E. 1998: *Spiritaes et animales philosophi: Remarques sur le concept de la philosophie aux XIIIe–XIIIe siècles*. In: Aertsen J., Speer A. (eds.). *Was ist Philosophie im Mittelalter?... Akten des X. Internationalen Kongresses für Mittelalterliche Philosophie der Société Internationale pour l'Etude de la Philosophie Médiévale, 25. bis 30. August 1997 in Erfurt*. Berlin; Boston (Miscellanea Mediaevalia, Bd. 26), 482–489.
- Regnault N.-F. 1775: *Les Ecarts de la nature, ou Recueil des principales monstruosités que la nature produit dans le genre animal*. Paris.

Shubinskiy V.I. 2015: *Daniil Kharms: Zhizn' "cheloveka na vetru"* [*Daniil Kharms: Man's life in the wind*]. Moscow.

Шубинский В.И. *Даниил Хармс: Жизнь «человека на ветру»*. М., 2015.

Snopkov et al. 2004: *Snopkov A.E., Snopkov P.A., Shklyaruk A.F. Shest'sot plakatov* [*Six hundred posters*]. Moscow.

Снопков А.Е., Снопков П.А., Шклярук А.Ф. *Шестьсот плакатов*. М., 2004.

